

XI.

Causa efficiens principalis Dominii est ius (a) aut gentium (b) aut civile. (c) Acquirit autem jus nobis dominium vel sine facto nostro (d) vel facto aliquo accedente sive nostro sive alieno. (e)

(a) Jus enim omnium illorum, quae legitimè sunt, causa est, & quae à jure aberrant, ab eodem excluduntur, ut pro nullis habeantur *Wes. ad princ. Inst. de Rer. divis.*

(b) quod etiam distinctionem dominiorum introduxit *Iex hoc jure s. ff. de just. & jure.*

(c) Qvod proprium est cuiusque civitatis *Zoesius Comm. de acq. rer. dom. n. 6* *Wes ibid. num. 5.* De utroque jure loquuntur *Cajus & Celsus in l. i. ff. de acq. rer. dom. & Just. Imperat. in §. singulorum ii. Inst. de rer. divis.* Unde modi acquirendi sunt vel naturales vel civiles, *de qvib. in thes. subseqq.*

(d) Nempe, quicquid ex re nostra nascitur, sine facto nostro nobis acquiritur, & rei nostrae accessio est, quae ex ipsa re trahitur. Sic hereditatem nonnunquam sola lex & immediate defert, *L. lege 14. C. de legit. hered. t. t. Inst. de hered. qvæ ab intest. deferuntur.*

(e) Fit hoc immediate per nosmetipso. Et si res nullius sit, dominium jure gentium queritur occupatione; si vero alicujus est, traditione; (excipimus hic res hostium, quae occupatione acquiruntur. *Zoes. de acq. rer. dom. n. 7.*) vel immediate per filios ac servos in potestate nostra existentes, *tit. Inst. per qvas pers. nob. acquir. per homines liberos L. liber homo 19. ff. de acq. rer. dom. per servos alienos bonâ fide qvos possidemus, per procuratorem §. 5. Inst. per qvas pers. nob. acquir. l. 13. ff. de acq. rer. dom.* Per negotiorum gestorem, per tutorem, Curatorem, per Syndicum *Pac. ad tit. Cod. per qvas pers. nob. acquir.*

XII.

Minus principalis causa Dominii sunt personæ, quae dominium acquirunt. Possunt autem omnes acquirere, nisi speciatim prohibeantur (a) vel conditione personæ suæ (b) vel suæ ipsorum voluntate id non agant, ut sibi acquirant (c)

B 3

(a) Si

-iud (a)